

Tyberio, ne plures, quàm quatuor cãdidatos commẽdaret, sine repulsa & ambitu designandos. Inter quæ tribuni plebei petiuere, vt proprio sumptu ederẽt ludos, qui de nomine Augusti Fastis additi Augustales vocerẽtur. sed decreta pecunia ex ærario, vtque per circum triumphali veste vterentur. curru vehi haud permissum. Mox celebratio annua ad prætorum translata, cui inter ciues, & peregrinos iurisdictio euenisset. Hic rerum vrbaniarum status erat, cum Pannonicas legiones seditio incesst, nullis nouis causis, nisi quod <sup>a</sup> mutatus princeps licentiam turbarum, & ex ciuili bello <sup>b</sup> spem præmiorum ostendebat. Castris æstiuis tres simul legiones habebantur, præsidente Junio Blaso, qui sine Augusti, & initiis Tyberij auditis, ob iustitium, aut gaudium <sup>c</sup> intermiserat solita munia. Eo principio <sup>d</sup> lasciuire miles, discordare, pessimi cuiusque sermonibus præbere aures, denique luxum & otium cupere, <sup>e</sup> disciplinam & laborem aspernari. Erat in castris Percennius quidam, <sup>f</sup> dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, <sup>g</sup> procax lingua, & miscere cœtus histrionali studio doctus. <sup>h</sup> Is imperitos animos, & quænam post Augustum militiæ conditio ambigentes, impellere paulatim nocturnis colloquiis, aut flexo in vesperam die, & dilapsis melioribus, deterrimum quenque congregare. Postremò promptis iam & aliis seditionis ministris, velut concionabundus interrogabat, cur <sup>i</sup> paucis centurionibus,

## OBSERVATIONES.

a Principatu nondum planè confirmato, & corroborato, mutationem principis apud milites licentiam turbarum creare satis constat.

b Qui ex ciuili bello victor redire studet, quod vi non potest, id arte det operam vt assequatur. atqui inter ceteras artes, quæ ad eam rem sunt necessariae, hæc, scilicet, inter præcipuas connumeratur, vt validos exercitus magna spe præmiorum ad suas partes pertrahat.

c Simul atque imperator solita munia intermittit, lasciuire miles incipit; nullumque non mali genus in exercitu oritur.

d His gradibus sensim ad seditionem peruenitur; lasciuia, discordia, seditioso cuique præbendo aures, luxu, otio; quæ omnia sunt contraria disciplinae, & labori.

e Militia duabus potissimum rebus nititur; disciplina & labore.

f Obseruet is, cui id negotij datum est, vt exercitum conscribat, Militiam vsque eò esse sacrosanctam, vt in eam assumi infames personas, id verò perquam indignum sit. siquidem vix fieri potest, vt quisque non eas artes in castra conferat, quas tenet, quod si quis artẽ ludicram, prius quàm miles esset, professus est, ecceui dubium est, quin aliquando ea abutatur ad corrumpendam disciplinam militarem? At histriones esse infames docet Iurisconsultus in tit. ff. de his qui not. infam.

g Procacitas lingua obscurum hominem, maliisque artibus imbutum arguit.

h Hic est seditiosorum hominum mos, vt animos imperitos impellant nocturnis colloquiis, aut iam appetente nocte, ac dilapsis melioribus deterrimum quemque congregent.

i Seditiosi homines, rerumque nouarum cupidissimi solent verbis extenuare numerum, ac vires eorum, qui ceteris imperant. qui si cum obedientium ingenti multitudine conferantur, per pauci, ac proinde ceteris impares reperientur. eandem propemodum fuisse orationem Manlij ad plebem Romanam testis est Liv. lib. 6. histor. ab vrbe cond.